OFFICIUM S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRGINIS,

Ordinis beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

SEMIDUPLEX.

A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum: de mandato S. D. N. CLEMENTIS Diuina diſpoſitione Papæ X. in Breuiario Romano apponendum: & ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitandum de præcepto die XXV. Maij.

DIE XXV. MAII.

In feſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis virginis Ordinis Carmelitarum.

Semiduplex.

Omnia de Communi vnius Virginis, præter Orationem propriam, & Lectiones ſecundi Nocturni. Oratio.

DEus virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam virginem tuo amore ſuccenſam, cæleſtibus donis decoraſti: da, vt quam feſtiua celebritate veneramur, puritate & charitate imitemur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus.

Deinde fit commemoratio ſancti Vrbani Papæ & martyris.

Lectiones primi Nocturni, de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

Maria Magdalena illuſtriori Pazziorum genere Florentiæ natâ, ferè ab incunabulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vouit; ſuſceptoque habitu in Monaſterio Sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis Carmelitarum ſe omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeò caſta fuit, vt quidquid puritatem lædere poteſt, penitus ignorauerit. Quinquennium, Deo iubente, ſolo pane & aqua tranſegit, exceptis diebus Dominicis, quibus cibis Quadrageſimalibus veſcebatur. Corpus ſuum cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate, atque omni pœnarum genere cruciabat.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

Tanto igne diuini amoris æſtuabat, vt eo ferendo impar, ingeſta aqua pectus refrigerare cogeretur. Extra ſenſus frequenter rapta, diuturnas & admirabiles extaſes paſſa eſt, in quibus & arcana cæleſtia penetrauit, & eximiis à Deo gratiis illuſtrata fuit. His autem munita longum certamen à principibus tenebrarum ſuſtinuit, arida, deſolata, ab omnibus derelicta, variiſque tentationibus vexata; Deo ſic permittente, vt inuictæ patientiæ, ac profundiſſimæ humilitatis exemplar præberet.

℟. Dilexiſti iuſtitiam.

Lectio vj.

Charitate erga proximum ſingulariter enituit; nam ſæpè noctes ducebat inſomnes, vel obeundis Sororum miniſteriis, vel inſeruiendo infirmis occupata, quarum aliquando vlcera lambens ſanauit. Infidelium & peccatorum perditionem amarè deflens, ſe ad quælibet pro illorum ſalute tormenta paratam offerebat. Multis ante obitum annis, vniuerſis cæli deliciis, quibus copiosè affluebat, heroica virtute renuntians, illud frequenter in ore habebat: Pati, non mori. Tandem, longa & grauiſſima infirmitate exhauſta, tranſiuit ad Sponſum die vigeſima quinta Maij anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, expleto anno quadrageſimo primo ætatis ſuæ. Eam multis in vita & poſt mortem miraculis claram Clemens nonus ſanctarum Virginum numero adſcripſit: cuius corpus in præſentem diem incorruptum conſeruatur.

℟. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorij Papæ in Euangelium, Simile erit regnum cælorum decem virginibus. vt in Communi Virginum: & nona Lectio de S. Vrbano Papa & martyre, cum commemoratione in Laudibus.

Vesperæ à Capitulo de S. Philippo Confessore, cum commemorat. sanctæ Mariæ Magdalenæ, & S. Eleutherij Papæ & martyris.

Missa. Dilexisti iustitiam, &c. cum Oratione propria, Deus virginitatis. vt suprà.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Bona, præfatas Lectiones & Orationem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis virginis Ordinis Carmelitarum, diligenter reuisas approbauit pro Ecclesia Vniuersali, recitandas ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub ritu Semiduplici de præcepto die XXV. *Maij eius festo; ac imprimi posse concessit. Hac die* XXIX. *Nouembris* M. DC. LXX.

M. Episc. Portuensis Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius S. Rit. Congregationis Secret.

FORMV-

FORMVLA

Die vigesimaquinta Maij imprimenda primo loco in Martyrologio Romano, ac legenda annuntiando Festum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Carmelitarum, iuxta infrascriptum Decretum Sacræ Rituum Congregationis.

FLorentiæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, quam plurimis Dei donis, vitæque innocentia, ac miraculorum gloria illustrem, Clemens Nonus sanctarum Virginum numero adscripsit.

SAcra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Bona, prædictam Formulam, qua festum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis virginis Ordinis Carmelitarum, Romano Martyrologio die vigesimaquinta Maij inserendum est, approbauit, & in nouis editionibus iuxta dispositionem eiusdem Martyrologij primo loco, & initio Lectionis die vigesimaquinta Maij apponi mandauit, eò quòd de eadem Sancta ab Ecclesia Vniuersali in posterum recitandum sit Officium. Hac die XXIX. *Nouembris* M. DC. LXX.

M. Episc. Portuensis Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. Secretarius.